



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

XXII. Ad eosdem, per Hincmarum & alios.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

TITVLVS XXII

Ad eosdem, per Hincmarum & alios.

ISTVM MISSATICVM TRANSMISIT REX PER
Hincmarum & Yrminfridum Episcopos, & per Adalardum Abbatem,
& Rodulfum, & Richuinum, & Berengarium.

Mandat vobis senior noster salutes. & mandat vobis quia pro Dei amore & pro vestra quondam fidelitatis seruitio sibi impenso omnes vos vult saluo esse, & sine aliqua occasione omnes vos ad Dei seruitium & ad suam fidelitatem adtrahere cupit. Et ut omnibus manifestum fiat quia sic omnes vos vult saluare sicut suos fideles, & nulla occasione intermissa aliquem ex vobis perdere vult, & ut etiam contra pares vestros absque laesione salui esse possitis, sicut debetis & Christianos oportet, talem causam quam vos eum postulastis libentissimè vobis concedit secundum consilium suorum fidelium usque ad conditum placitum quod est V. Idus Octob. Carnutum. Ita tamen ut vos securitatem talem ei faciatis ut usque ad illud placitum in pace maneatis, & nullam dehonorationem in aliqua causa erga eum aut erga suos fideles faciatis, quam rationabiliter & possibiliter vi-

tare & cavere potestis. neque impedimentum suis fidelibus faciatis, nec imprædationem, nec aliquam inquietudinem. Et concedit vobis ut omnes in honoribus & in alodis vestris interim consistatis, exceptis his quorum honores senior noster donatos habet. Et si aliqui sunt ex vobis qui honores non habent, si volunt in suis alodibus consistere aut cum aliis eorum paribus vel amicis, faciant. Et etiam si voluerint cum seniore nostro manere, ita tamen ut cum pace vivant, & ipsi & sui, etiam hoc clementer concedit. ea videlicet ratione ut vos securum de vobis illum faciatis, & ut nullum suum fidelem aliquo modo de sua fidelitate subtrahatis neque sollicitetis. Et si aliquis ex vobis fuerit qui hanc pacem isto modo servare noluerit, à vestro confortio omnes eum unanimiter expellatis, si emendare noluerit quod neglegenter fecisse manifestum fuerit.

TITVLVS XXIII

Synodi Carisiacæ.

CAPITVLA QVÆ KAROLVS FECIT APVD
Carisiacum palatium.

CAP. I.

IN nomine sanctæ & individue Trinitatis. Karolus gratia Dei Rex illi Episcopo & dilectis ac fidelibus Missis illis Comitibusque nostris salutem. Notum sit fidelitati vestrae quia XVI. Kal. Mart. secundum sacram auctoritatem synodum venerabilium Episcoporum ac conventum fidelium nostrorum apud Carisiacum fecimus convenire. Cum quibus inter cetera

ecclesiasticæ utilitatis ac regni necessitatis negotia consideravimus qualiter rapinæ & depopulationes, quæ partim occasione superinterventium paganorum, partim mobilitate quorundam fidelium nostrorum in regno nostro, per eos etiam qui Ecclesiam Dei defendere & tueri & regni soliditatem ac quietem debuerant providere, grassantur, aliquo modo annuente Domino sedari valeant & amoveri.